



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

4. Ranæ, typus convitiatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Ipsaque dilatant patulos convitia rictus.
Terga caput tangunt, colla intercepta videntur,
Spina viret, venter pars maxima corporis albet:
Limosoque novæ saliunt in gurgite ranæ.

IV. (d) Imago hæc est convitiatorum & calumniatorum; in limo & luto delectamentum quærunt; in sordidis obtreccionibus linguam & dentes exercent. Et ubi non coaxant hoc genus *Rana*: ubi suo strepitu non obtundunt aures? non secus ac ranæ illæ Ægyptiæ, quondam in Pharaönem immissæ. Exod. 8. cibos omnes, vasa, ollas, lances, sedes, mensas, domos, apothecas, penuaria, cubicula, lectos, vias, cunctaque occupantes ac fœdantes. De quibus Philo lib. 1. de vita Mosis. Vix Aaron manum extendat, cum ranarum tanta vis prorepit, ut non solum fora completeret, ac loca subdialia; verum & domos, & villas, & cuncta ædificia tam Sacra, quam profana; tam privata, quam publica; haud secus, ac si genus hoc aquatilium missum esset in diversi elementi coloniam; natura mutante rerum vicissitudinem. Hæc Philo. En quò penetrent maledicæ, vel etiam obscenæ linguæ (nam in cœno nascuntur ranæ) quid non fœdent, inquinant, inficiant? In mensis præsertim, & inter computationes spurcitiem suam exerunt, & è fœtenti gutture vel Cyprias sordes eructant, vel purulentas linguas convitiis & contumeliosis sermonibus exercent, probrisque lacerant innocentiam.

V. (e) Ranæ, loquaces & putidæ bestię apud Homerum insanis suis clamoribus Minervæ ipsi molestæ sunt, quæ propterea queritur, sibi infesta ranarum coaxatione caput obtusum, & soporem, quem vel maxime desiderabat, negatum. At si lampadem lacui, in quo tumultuantur ranæ, imminentem appendi cures, repente, ut ajunt, luminis fulgore percussæ conticescunt. Ranæ Calumniatores, ut dixi, sunt, qui, ne Minervæ quidem, hoc est litteratis & virtute claris hominibus parcunt, sed maledicum os in eos stringunt, & molestiam certè, si damnum non possunt, inferre student. Fit tamen, ut, postquam vel obtreccantes linguæ, vel criminatores calami aliorum famam, velut coaxantes ranæ infestare conantur, Veræ virtutis, religionis, ac doctrinæ fulgor, instar lampadis ex alto suspensæ, discussis calumniarum & mendaciorum nebulis longè clariùs emicet, & maledicentia improborum hominum comprimatur, ac obmutescat.

VI. (f) Per ranas intelliguntur etiam garruli, loquaces, clamosi; hi enim quietis amantibus sunt permolesti, turbantque silentium, attentionem,

(d) *Rana* typus convitiatorum. (e) Obtreccatores litteratorum & proborum virorum. (f) Garrula rana, sicut femina, pueri, & quidam senes, ac hæretici.